

## AD BARTHOLOMEUM ROVARELLAM

E\_1 v.1 Hoc te, si fas est, donamus munere, praesul  
 2 magne Ravennatum : carmina pauca lege.  
 3 Nil hic continui poteris reperire laboris,  
 4 hora sed hic varium quaelibet urget opus.  
 5 Sunt, fateor, nugae ; sed amant quoque seria nugas :  
 6 quis faciem Socratis semper habere queat ?  
 7 Tempora consiliis, sunt tempora digna theatris,  
 8 nec male post Senecam, Plaute, legere mihi.  
 9 Prisca fuit multo quam nostra severior aetas :  
 10 illa tamen ludos, reperit illa sales.  
 11 Nec tibi vel Petri cum successore moranti  
 12 quoslibet abdictos credimus esse jocos.

## AD QUADRATUM

E\_2 v.1 Quae te causa dedit nobis, Quadrate ? Quid optas  
 2 aut media speras figere barbariae ? -  
 3 Confiteor : sanctam veni dicturus ad aram ;  
 4 in causis lites cum Cicerone feram. -  
 5 Aspice causidicos : minima est vindemia, soli  
 6 Sergius et Sybaris reliquias relegunt. -  
 7 Si nil jura ferent, dictare poemata possum :  
 8 Orpheus atque Linus non meliora cudent. -  
 9 Stulte, quid insanis ? Nescit toga barbara versus :  
 10 nudus Virgilius, nudus Homerus eris. -  
 11 At dominis servire queam. - Vix quinque sub ista  
 12 spe vivunt famuli, cetera turba perit. -  
 13 Dic age, quid faciam ? Nam certum est vivere nos hic. -  
 14 mentiri aut leno si potes esse, mane.

## INDIGNATIO

E\_3 v.1 Vincite, damnati per saecula, vincite mores :  
 2 officium nullus possit habere bonus.  
 3 Siquis at impurus, siquis cervicis acerbe,  
 4 siquis crudelis, siquis adulter erit,  
 5 siquis ob incestum famosus, siquis avarus,  
 6 proditor antiquae siquis amicitiae,  
 7 siquis delator, siquis perjurus et omni  
 8 fraude potens, siquis lenoque furque fuit :

9 hic habeat nummos, hic aedes, praedia, servos  
 10 et fasces summi, si licet, imperii.  
 11 Magne pater superum, quo nunc tua cura recessit ?  
 12 Haec populum pateris crimina ferre tuum ?  
 13 Quid loquor ? Ira pii non est festina Tonantis,  
 14 sed magis ut differt, sic coquit illa magis.

EPYTAPHIUM EMANUELIS CHRISOLORE GRECI

E\_4 v.1 Ille ego qui Latium priscas imitarier artes  
 2 explosis docui sermonum ambagibus et qui  
 3 eloquium magni Demosthenis et Ciceronis  
 4 in lucem retuli Chrysoloras nomine notus :  
 5 hic sum post vitam et peregrina in sede quiesco.  
 6 Huc me concilii deduxit cura, trium dum  
 7 Pontificum ecclesiam vexaret saeva tyrannis.  
 8 Roma meos genuit majores ; me bona tellus  
 9 Byzantina tulit, cinerem Constantia servat.  
 10 Quo moriari loco nil refert : undique caelum  
 11 poenarumque locus mensura distat eadem.

IN MUNDUM

E\_5 v.1 Cur me, munde, vocas ? Cur me spe pascis inani,  
 2 cui nihil est certi perpetuique boni ?  
 3 Forma diu nulla est, pereunt splendorque nitorque  
 4 nec vires possunt corporis esse diu.  
 5 Quid mihi divitiae, quidve alta palatia prosint  
 6 regnaque, si nequeunt tollere mentis onus ?  
 7 Stultitiam et morbos et curas regibus aufer  
 8 et ne cogantur, dum vocat hora, mori,  
 9 assit honor semper maneatque potentia longum,  
 10 nulla voluptatis tempore vis pereat :  
 11 tunc ego te dicam magnum fatearque potentem  
 12 militiam cupiens et tua castra sequi.  
 13 Sed te caeca regit vario fortuna labore  
 14 nec lux quid pariat crastina nosse potes.  
 15 Desine blanditiis homines accersere falsis :  
 16 stat servire Deo, qui bona certa dabit.

IN IURISTAM MALEDICUM

E\_6 v.1 Ingenio dotate malo, qui carmina temnis  
 2 et laudas quae non discere jura potes :  
 3 Bartolus et glosae desint : quasi mutus abibis  
 4 nec tabulas bis sex nec nova jura coles.  
 5 Si sapis, ergo tace nec perge lacescere vates,  
 6 stultitiam si vis posse latere tuam.

IN FALSUM PRECEPTOREM

E\_7 v.1 Cur de praeceptis loqueris male falsus honestis,

2           si non, ut dicis, vivere posse studes ?  
 3   Tantum animo prosunt aegro bona verba sine actu,  
 4           corpore in aegroto quam sine re medicus.

## AD NEAPOLITANOS

E\_7    v.1    Quid dubitas tanto portas jam pandere regi,  
 2           Parthenope ? Non hic hostis, ut ante, venit.  
 3   Parcere subjectis didicit, domitare superbos :  
 4           quod fortuna jugum fert tibi sume libens.  
 5   Nec tibi turpe putes decimo si vinceris anno :  
 6           Troja etiam tanto tempore capta fuit.

## AD REGEM ARAGONUM

E\_9    v.1    Quis se, Alfonse, tibi regum par comparet usquam,  
 2           qui superas cunctos nomine reque viros ?  
 3   Quis tantum ditionis habet terraque marique ?  
 4           Virtutis quis tam corporis atque animi ?  
 5   Non sibi te late dominarier invidet orbis,  
 6           qui mallet totum se patuisse tibi.  
 7   Quis te vel melius regeret vel justius illi  
 8           majorique daret cum ratione modum ?  
 9   Quid dicam ? Vel tu deus es vel nullus in orbe est,  
 10          tantum qui prae te nomen habere queat.

## AD GALEAZIUM CUR OPES EXPETANTUR

E\_10   v.1    Quid valeant nummi quaerunt, quid praedia, quidam,  
 2           si natura cupit nostra petitque parum.  
 3   Graecus Aristippus Libyae deserta peragrans  
 4           aurea dejecit pondera, ne premerent.  
 5   Fecit idem Crates, ultro qui perdidit aurum,  
 6           ut levius posset discere quod saperet.  
 7   Flumine si vitam, prisca si ducere glande  
 8           possumus et corio pellere frigus iners :  
 9   nocte die totiens cur suspiramus et acres  
 10          nunc hoc, nunc illud acceleramus opus ?  
 11   Per mare pauperiem fugimus, per saxa, per ignes,  
 12          cujus quam remur non grave pondus erat.  
 13   Sed non omnis amat praeceptum Pythagoreum,  
 14          possit ut in solis caulibus esse satur.  
 15   Pocula post nato cedunt Acheloia vino  
 16          nec patitur pretium glandibus esse Ceres.  
 17   Jamdudum parvo cessatum est vivere guttur,  
 18          dum nemore omne feras verrit et omne freto.  
 19   Lentibus at si tu vivas et farre secundo  
 20          et comedas tantum quod tuus ortus habet,  
 21   excludere foras, digito monstraberis : "Hic est,  
 22          hic est, cui tantum cena paratur olus".  
 23   Adde genus vestis, Tyrrio quam murice tingunt,  
 24          atque etiam Scythicis vellera sumpta feris.  
 25   Te si crassa tegit paulum pertusaque lena,

26 "Pauper adest", dicent, "postibus adde seram".  
 27 Dic : "Aperi : potus Cirrhae de fonte revertor  
 28 et vellem domino pauca referre meo",  
 29 nil facies. Puero : "Portam servare memento"  
 30 conclamant ; "aperi, purpura siqua venit".  
 31 Temporis hoc vitium est, et nos cum tempore oportet  
 32 vivere : sic magnas quilibet optat opes.  
 33 At si virtutes, Galeazi dulcis, amarent  
 34 reges, sat fuerat omnibus esse probis.  
 35 Sat fuerat, dixi. Satis est ; nam munere terrae  
 36 mercamur dominos, sed probitate deum.

#### IN SCRIBAM DUELLATOREM

E\_11 v.1 Scriba, quid insanis, durum gesture duellum ?  
 2 Crede mihi : non est lancea, quod calamus.

#### LUDOVICUS AD HYSPILAM

E\_12 v.1 Nulla mihi argenti sunt munera, nulla vel auri,  
 2 nulla mihi gemma est, purpura nulla mihi.  
 3 Quid facimus ? Quo te venerabimur, Hyspila, dono ?  
 4 Nil tibi quod donet pauper amator habet.  
 5 Accipe quod multo reputes praestantius auro,  
 6 namque meum totum do tibi, sume, animum.  
 7 Quaeque voles faciet. Si jusseris, ibit in ignem ;  
 8 si sit opus, pro te stat sibi velle mori ;  
 9 si non sum facie, si non sum corpore amandus,  
 10 attamen officio sum bonus atque fide ;  
 11 te si forma dedit cunctas superare puellas  
 12 et similem Veneri reddidit atque Helene :  
 13 pone tamen fastum ; nam furtim labitur aetas :  
 14 nulla juventutis gloria firma satis.  
 15 Accipe me, serva, miserere fidelis amantis ;  
 16 nam melius nil est quam pietatis opus.

#### IDEM AD QUADRATUM

E\_13 v.1 Cinthia saepe tuos quamquam violaverit ignes,  
 2 sat tibi quod thalamos non amat illa meos.  
 3 Nil ea post alios quid agat te cura remordet :  
 4 ne post me veniat te timor unus habet.  
 5 Desine Trasonem falsis damnare libellis,  
 6 cujus apud nos est intemerata fides.  
 7 Sed non ista sibi poscit mea carmina laurus ;  
 8 orchestram si vis scribere, scribe mihi.  
 9 Cede jocos aliis ; nos grandia gesta canamus  
 10 et semper juvenem vivere crede nefas.

#### AD GASPAREM SLIK IMPERIALEM CANCELLARIUM

E\_14 v.1 Omnibus est animis numquam mortalis origo :

2 spiritus ex alta cuilibet arce datur.  
 3 Illinc Iapetides ignem ducente Minerva  
 4 traxerat, ex illa vivimus usque face.  
 5 Hinc memores facti divinatorumque capaces  
 6 et justis multa cum pietate sumus.  
 7 Hinc vis ingenii miras excogitat artes  
 8 seu belli fuerint tempora sive togae.  
 9 Cur tamen hic alium superat, cur doctior illo  
 10 hic atque ille alio? Cur valet ille nihil?  
 11 Cur vel Thersites minor est quam fortis Achilles  
 12 vel Cicerone satus laudis honore caret?  
 13 Nempe animus, postquam corpus terrenaque membra  
 14 induit et vincula corporis atra subit,  
 15 protinus haec tantum vis deperit ignea, quantum  
 16 corporea plus se polluit illa fece.  
 17 Pondus ad ima trahit vitiisque inviscat acerbis,  
 18 virtuti levitas servit et astra petit.  
 19 Nunc ratio sensum oppugnat, nunc sensus in illam  
 20 surgit et hac domita pergit in omne nefas.  
 21 Otia tunc subeunt, convivium, balnea, somni  
 22 et Veneris quantum Sardanapalus amet.  
 23 Tunc ire et gemitus rixarum, tunc gravis auri  
 24 et nullo penitus aere domanda sitis.  
 25 Quae postquam regnant, Circe venisse putato,  
 26 quae vultus hominum vertat in ora suum.  
 27 At ratio superans, generosae laudis amatrix,  
 28 nil praeter rectum, semper honesta cupit.  
 29 Paruit huic si quis nullaque in parte rebellis  
 30 exstitit aut pa(vit): vir bonus ille fuit,  
 31 aetherae mentis custos, cui mole sub ipsa  
 32 corporis ingessit faex lutulenta nihil.  
 33 Utque lutum penetrat nec se deturpat Apollo,  
 34 terrea caelestis pertulit antra vigor.  
 35 Alcide juveni placidam dum membra quietem  
 36 cepissent, geminae comparuere deae.  
 37 Altera praeclaros illi spondebat honores,  
 38 si secum vellet ferre laboris iter;  
 39 altera: "Nil opus est", dixit, "(mihi crede) labore;  
 40 sume voluptates, quas tibi amica paro."  
 41 ille autem primam complexus in aethera tendit  
 42 et docuit magni se genus esse Jovis.  
 43 Sic omnes fecere viri, quos Graecia laudat,  
 44 seu sit Aristoteles sive sit ille Plato.  
 45 Nomen in Hectoreum totus sese erigit orbis  
 46 miratus tanti fortia facta viri.  
 47 Quid referam externos? Satis est Romana propago,  
 48 si quis amat virtus scire quid alta queat.  
 49 Quas Deciis laudes, quas ferre Catonibus et quas  
 50 Fabricio nosti saecula prisca solent;  
 51 Pompeium, Fabium et referentem signa Camillum,  
 52 Scipiadas quis non credidit esse deos?  
 53 En quod eos ratio duxit, non prava libido,  
 54 his parta est quae non fama perire potest.  
 55 Hos et tu proceres inter numerabere, Gaspar,  
 56 qui nec fortuna es nec probitate minor.  
 57 Utque aliis pandam quid sit, quod miror amoque,

58            pauca velim de te dicere, magna tamen.  
 59    Ingenio polles miro cernisque futura  
 60            consilioque vales eloquioque vales.  
 61    Utque Mithridati varias novisse loquelas  
 62            est decus : est eadem gloria magna tibi.  
 63    Pectore amicitiam servas, scelus omne perhorres  
 64            collaque nec rapidae flectis avaritiae ;  
 65    namque puer frenis animum domuisse ferocem  
 66            diceris, ut juvenem qui bene nutrit equum.  
 67    Hinc varios casus et magna pericula rerum  
 68            exsuperans claris adnumerare viris.  
 69    Regibus hinc notus cepisti et carus haberi  
 70            ferreque promeritae cingula militiae.  
 71    Adde, quod est majus et nulli contigit ante :  
 72            Caesaribus signas jam sine lite tribus.  
 73    Vera haec nobilitas, vera est haec gloria, quae te  
 74            sublimem toto reddit in orbe virum.  
 75    Haec tibi conjugii splendorem contulit alti,  
 76            ex quo vel sobolem dii tibi dent similem.  
 77    Atque utinam de te prognati exempla sequantur  
 78            claraque perpetuo sit tua posteritas.  
 79    His tamen ut meritis Caesar condigna rependat  
 80            praemia, sint Lachesis stamina longa tuae.  
 81    Vive diu felix cum Caesar digna rependat  
 82            praemia, sint Lachesis stamina longa tuae.  
 83    Vive diu felix nostro cum Caesare, quando  
 84            dignus es illius, dignus et ille tui est.  
 85    Vivite felices ambo penitusque beati  
 86            et me vel famulos inter amate probos.

#### IN MONACHUM MINOREM

E\_15    v.1    Si non vult frater, si non vult esse magister,  
           2            - causidicus non est - scurra sit ergo minor.  
           3    Si non vult corvi, si non vult nomen oloris,  
           4            inter Cecropias pica vocetur aves.

#### AD GASPAREM NOVARIENSEM

E\_16    v.1    Quae mihi mittebas, eadem praeconia reddo,  
           2    Gaspar, et Aoniis, quae te docuere, puellis  
           3    ingentes refero grates. Ne subtrahe Musis  
           4    ingenium, natura tibi quod praebuit, altum.  
           5    Perge viam, qua te gaudere Novaria possit,  
           6    quantum pulchra suo gaudet Verona Catullo.  
           7    Sic tua Peneiae contingent tempora frondes  
           8    et grandi poteris suras vincire cothurno ;  
           9    namque tuas novi cantanda in carmina vires  
 10    et venam ingenii. Dii te patriaeque mihique  
 11    conservent : maneat quod jam mihi firmat Apollo.

#### AD EUNDEM

E\_17 v.1 Usque adeo vanum referunt Demosthena quidam,  
 2 gestiret vetulae ut laude ferentis aquam  
 3 atque illo sese privari nolle susurro  
 4 diceret. En non me gloria laudis agat.  
 5 Stoicidae famam temnunt : cur nomina libris  
 6 inscribunt : Senecae hoc sive Catonis opus ?  
 7 Virtutis pretium laus est et gloria magna  
 8 nec bonus est, quem non tangat honoris amor.  
 9 Se tamen expendat jus est et ponderet hic se,  
 10 quisquis amat laudis tempora longa suae.  
 11 Theseus Alcidae cedat, Patroclus Achilli  
 12 nec velit Hectoreum nomen habere Paris.  
 13 Sic mihi tu, Gaspar, si vis dare nomina, da quae  
 14 dicere Virgilius non queat : haec mea sunt.  
 15 Namque genus probri turpisque notaminis instar  
 16 virtuti laus est non sociata suae.

#### EPYTAPHIUM CICERONIS

E\_18 v.1 Hoc jacet in tumulo Romanae gloria linguae  
 2 Tullius, infandae quem rapuere manus.  
 3 Antoni gladiis cecidisti, magne senator,  
 4 et Caietanus te sepelivit ager.  
 5 Eloquii cunctos superasti laude Pelasgos  
 6 tutaque te solum consule Roma fuit.  
 7 Ergo licet tumulo tua membra tegantur opaco,  
 8 non tamen haec nomen mors tulit omne tuum.  
 9 Dum caelum terras respexerit et mare caelum,  
 10 effugient laudes saecula nulla tuas.  
 11 Vos, qui transitis, pueri juvenesque virique,  
 12 sistite et : o Cicero, dicite, noster, ave !

#### ALIUD

E\_19 v.1 Tullius Arpinas tegor hic, sed corpore tantum,  
 2 parsque mei melior, spiritus, astra tenet.  
 3 Servavi patriam, servavi jura senatus,  
 4 consule succubuit me Catilina malus.  
 5 Me patrem eloquii veteres dixere Latini,  
 6 cessit et ingenio Graecia docta meo.  
 7 Sex decies fruges et ter mea vita novatas  
 8 viderat, ense pium cum tulit ira caput.

#### SILVII PATRIS ENEE EPYTAPHIUM

E\_20 v.1 Silvius hic situs est nulli probitate secundus,  
 2 quem dederat patriae Picolomina domus.  
 3 Dum bona nobilitas potuit sua jura tueri,  
 4 clarus erat : periit, cum perit illa, simul.  
 5 Unicus est vitae fructus vixisse beatae,  
 6 cetera praetereunt, spiritus astra petit.  
 7 Discite, mortales, caelum virtute pacisci ;  
 8 namque alia nulli quaeritur arte polus.

## CONTRA RHENENSES NEUTRALES

E\_21 v.1 Ite domum, proceres, neutralis turba. Quid obstat ?  
 2 Eugenius posthac pastor habendus erit.  
 3 Sic placitum superis, sic stat sententia regis :  
 4 pone supercilium, Rhene superbe, tuum.  
 5 Nec te paeniteat sancti mandata parentis  
 6 suscipere atque animae consuluisse tuae.  
 7 Respice, quid faciant Galli flavique Britanni  
 8 Italiaeque duces, et quid Hiberus agat.  
 9 Aspice Germanus qua se circumtulit Hister :  
 10 Eugenio trepidum flectitur omne genu.

## AD HYSTRUM

E\_22 v.1 Hister, ut indignum faveas transire poetam,  
 2 te precor, et placidum cede benignus iter.  
 3 Nonne vides magnis vexata carina procellis  
 4 ut nequit inceptam continuisse viam ?  
 5 Invida ventorum rabies et dira malorum  
 6 fata meum cupiunt abbreviare diem.  
 7 Promerui, fateor, mediis jacuisse sub undis  
 8 et fieri magnis piscibus esca tuis.  
 9 At tu, si veterum vera est sententia vatum,  
 10 numen habes : numen convenit esse pium.  
 11 Da spatium vitae, da fluctus esse quietos,  
 12 daque Viennenses me revidere domos.  
 13 Hinc ego Rauraco quantus de monte feraris  
 14 et quantus dicam rura Sueva secas,  
 15 Norica quam pulchro percurras flumine regna  
 16 quamque tumens Aeni lata fluenta bibas  
 17 et quam te placido susceperit Austria vultu  
 18 Pannoniaeque planis ut remoreris agris ;  
 19 ut Triballos lambis, ut dividis inde Valaccos,  
 20 ut Scythicis praebes pocula larga viris  
 21 utque dein bis ter Euxini in viscera mersus  
 22 optima navigio flumina magna vehis.  
 23 Haec tibi, si placeant, reddentur praemia ; namque est  
 24 immemor accepti nemo poeta boni.

## AD CONRADUM MONACHUM

E\_23 v.1 Gallorum magno quae scripsi carmina regi  
 2 reddendum trutiniae respice si quid habent.  
 3 Doctus es et Misis semper comitatus et ipsa  
 4 est tua cum sanctis vatibus aucta domus.  
 5 Ne referam plures : quid avunculus ? Ille deorum  
 6 colloquio et suavi carmine junctus erat.  
 7 Sed tua jam virtus clara elucescit in orbem :  
 8 perge viam et nomen non tibi dispar erit.  
 9 Sic opus hoc nostrum potis es relimare : lege ergo  
 10 carmina iudicio discutienda tuo.



## AD CAROLUM REGEM FRANCORUM

E\_24 v.1 Sis licet invictus multoque in proelio victor,  
 2 Carole, Gallorum rex inclite, sit licet ingens  
 3 gloria gestorum ; turmas ductante puella  
 4 fregeris et duces, qui te regnumque petebant :  
 5 ista tamen longos non est mansura per annos  
 6 fama, pium si non invenerit ipsa poetam.  
 7 Desinat Aeacides, qui vicerat Hectora Troem,  
 8 nomen honorati dudum labatur Ulixix,  
 9 ni quibus in rebus fuerint scripsisset Homerus ;  
 10 egregius pereat Musa reticente Maronis  
 11 Troius Aeneas pietate insignis et armis.  
 12 Omnia nata cadunt, nata omnia surripit aetas :  
 13 nascimur ad mortem tacitisque senescimus horis.  
 14 Carmina sola necem possunt depellere : mancos  
 15 eripuerunt viros a mortis dente Camenae.  
 16 Nulla potest vires effringere carminis aetas.  
 17 immortalis erit, nullis obscurus in annis,  
 18 qui sua facta dabit numeris cantanda poetum.  
 19 Ergo tibi et sanctae gestorum consule famae :  
 20 quaere tuas aliquem valeat qui scribere laudes  
 21 eximias nomenque tuum claramque tuorum  
 22 et gentem et stirpem Trojano a sanguine cretam.  
 23 Est operae pretium belli cognoscere quales  
 24 scribentes habeat virtus spectata domique  
 25 indigno et gracili non committenda poetae.  
 26 Praestat ames aliquos, qui munus Apolline dignum  
 27 efficiant studioque petant Heliconae virentem  
 28 assiduo et tenui deducta poemata filo  
 29 reddere promittant et vatibus addere calcar.  
 30 Hos vocites et egere vetes et carmina cogas  
 31 edere vel priscis non aspernanda Latinis.  
 32 Quis tamen has tantas audebit sumere curas ?  
 33 Quis dabit ingenium vivax et ad omnia tritum,  
 34 ut possit patulas implere legentibus aures ?  
 35 Sunt qui magna canunt dominorum bella ducumque  
 36 aeternamque valent homini concedere vitam,  
 37 qualis ad Italiam Siculis Antonius oris  
 38 venit, ut illustris perstringeret acta Philippi  
 39 Marrasiusque simul, cui non vetuere paternae  
 40 Sicelides Musae praetendere ab ubera guttur.  
 41 Quin etiam Vegius, quem divae aluere sorores  
 42 Pieriae, missum caelesti munere nobis,  
 43 atque alii, quorum sunt nomina nota leporque  
 44 dicendi, hos tecum conducere sit tibi curae.  
 45 Hortari ut scribant, concedere multa laborum  
 46 praemia : te aeternum facient caeloque locabunt.

## AD PETRUM MONACHUM

E\_25 v.1 Petre, tuas legi, quam longa est, nocte tabellas :  
 2 carmen et ingenium collibere mihi.

3       Seu te Melpomene, seu quaevis una dearum  
 4            instruxit : vatis nomen habere potes.  
 5       O quae Parnasi divino gurgite gaudes,  
 6            serta, precor, Petro necte, Thalia, meo :  
 7       purpureos viridi flores adnecte coronae  
 8            et cari capitis cinge, puella, comas.

EPYTAPHIUM IULIANI ROMANI

E\_26    v.1    Roma fuit patriae, fuit et Basilea sepulchro,  
 2            invida, post dominum me quoque habere volens.  
 3       Utque illum possis et me cognoscere, lector,  
 4            hic Ludiucus, sed Julianus ego.  
 5       Frustra ego tot terras, frustra ipse tot aequora vidi,  
 6            frustra et thesauri sic studiosus eram.  
 7       Peccavi, fateor ; sed, si peccata requiris,  
 8            magne Iesu, ulcisci : quis tuus hospes erit ?  
 9       At tu, qui nostrum calcas aliquando sepulchrum,  
 10            crede mihi : quod sum, tu quoque pulvis eris.

LUDIVICI PONTANI EPYTAPHIUM

E\_27A   v.1    Quin fletis, leges, quin fletis, jura ? Sepultus  
 2            nam Ludivicus in hoc marmore delituit.  
 3       Hic vos ornat vestrasque, ubicumque fuerunt,  
 4            solverat ambages ; nunc sine voce tacet.  
 5       Heu voces ! heu verba viri divina memorque  
 6            ingenium : quo nunc vis tua muta loco est ?  
 7       Te Roma atque omnis plorabit Etruria teque  
 8            tota petet lacrimis Itala terra piis.  
 9       Proh vanas hominum mentes ! Proh pectora caeca !  
 10            Cuique dies certum est fata dedisse suos.  
 11       Et nos, cum superi statuent, veniemus ad illos :  
 12            nemo parum vixit, cui bona vita fuit.

LUDOVICI PONTANI EPYTAPHIUM

E\_27B   v.1    Si mille aut totidem rapuisses usque virorum,  
 2            pestis, adhuc poteram parcere, saeva, tibi.  
 3       At tu quo nusquam fuerat praestantior alter,  
 4            exstinctum in primis reddis, iniqua lues :  
 5       quin fletis leges, quin fletis jura, sacrique  
 6            nunc canones : obiit, quem coluistis, herus.  
 7       Hic vos ornat vestrasque, ubicumque fuerunt,  
 8            solverat ambages : nunc sine voce jacet.  
 9       Haec voces, heu verba viri divina, memorque  
 10            ingenium, quo nunc vis tua muta loco est ?  
 11       Heu, Romane, jaces, quo nec Romanior ullus  
 12            ante fuit, quo nec forte futurus erit.  
 13       Te pater, et carus retur modo vivere frater ;  
 14            heu quantos gemitus ille vel ille dabit.  
 15       Te Roma atque omnis plorabit Etruria teque  
 16            tota petet lachrimis Itala terra piis.

17 Te nunc concilium, te nunc ululatibus unum  
 18 ipsa quoque exstinctum quaeritat ecclesia.  
 19 Heu vanas hominum mentes, heu pectora caeca :  
 20 cuique dies certum est fata dedisse suos.  
 21 Et nos cum superi statuent, veniemus ad illos :  
 22 nemo parum vixit, cui bona vita fuit.

EPYTAPHIUM CARDINALIS PLACENTINI

E\_28 v.1 Branda, caput rubeo texit cui papa galero  
 2 atque Placentinus nomine gnotus eram,  
 3 hic sum post vitam, fuerat quae longa, sepultus.  
 4 Si bene quid sevi, nunc bona messis erit.

EPYTAPHIUM ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS

E\_29 v.1 Insubres rexi praesul rexique Ticinum,  
 2 praesul apud Gallos notus Aquensis eram.  
 3 Sub me cum bellis Aquilam vexaret acerbis  
 4 Braccius infelix vincula dirasubit.  
 5 Non haec me genuit, sed docta Bononia tellus  
 6 Franciscoque mihi nomen habere fuit.  
 7 Vixi, dum licuit, mundo peregrinus in isto ;  
 8 civis in aetherea nunc peto sede locum.  
 9 Audi haec qui transis : ego non, si vertere retro  
 10 fata queam, plus hoc vivere in orbe velim.  
 11 Mors hominem curis solvit redditque beatum,  
 12 si pia praecedens vita decensque fuit.

DE BEATA VIRGINE

E\_30 v.1 Pone lachrimosam tristi de mente querelam  
 2 quisquis fortunae vulnera ferre gemis.  
 3 Huc venias, hinc arma petas : tibi virgo roganda est,  
 4 mater honesta dei, mater honesta hominis.  
 5 Auferet ipsa mali quicquid fortuna pararit  
 6 inque tuas veniet tota benigna preces.  
 7 Munera nulla petet ; vitulos ne quaere litandos :  
 8 mens bona sola placet, mens bona sola satis.

DE ROMA

E\_31A v.1 Oblectat me, Roma, tuas spectare ruinas,  
 2 ex cujus lapsu gloria prisca patet.  
 3 Sed tuus hic populus muris defossa vetustis  
 4 calcis in obsequium marmora dura coquit.  
 5 Impia ter centum si sic, gens, egeris annos,  
 6 nullum hic indicium nobilitatis erit.

DE ROMA

E\_31B v.1 Roma vetus, veteres dum te rexere quirites,  
 2 nec bonus immunis nec sine poena malus.  
 3 Patribus extinctis successit prava juvenus,  
 4 quorum consiliis praecipitata ruis.

## DE ROMA

E\_31C v.1 Romanas vidi duce te, Vertumne, ruinas  
 2 priscaque templa bonis credita caelitibus.  
 3 Nil mage mirandum, sive hac seu verterer illac,  
 4 cernere luminibus fata dedere meis ;  
 5 nam praeter celsas moles et splendida tecta  
 6 jus proprium imperii Roma reservat adhuc.  
 7 India contenta est Indis et Gallia Gallis,  
 8 Roma sibi e toto vindicat orbe viros.  
 9 Praeterea cum vix unum provincia regem  
 10 una ferat, qualem Martia facta petunt ?  
 11 Principibus satis est Romana potentia multis,  
 12 quos vehit ad summum bellica fama decus.  
 13 Denique si vatem vates non ludit Apollo,  
 14 mens mea Romulidis sidera laeta videt ;  
 15 nam quae de veteri funduntur germina trunco  
 16 spargunt aeriis brachia plena comis,  
 17 non aliter quam cum Herculeo desecta lacerto  
 18 diffudit cristas Argolis hydra novas.  
 19 Jam rediere duces Fabii, rediere Catones,  
 20 jam loquitur proprio lingua Latina sono.  
 21 Et tandem imperium toto qui finiat orbe  
 22 et bona qui faciat saecula Cesar adest.

## IN SOMNUM

E\_32 v.1 Femina rara suo reperitur prona marito :  
 2 te nolente cupit, teque volente fugit.  
 3 Sic mulo mos est, cui se committit Hiberus :  
 4 stare jubes, currit ; jusseris ire, manet.  
 5 Sic meus est stomachus medico contrarius : omne  
 6 quod juvat expellit et nocitura tenet.  
 7 Deterior somnus, qui me dum nolo perurget,  
 8 dum volo vel tota se mihi nocte negat.  
 9 Stulta deum dixit manifesta voce vetustas :  
 10 "Tu deus an frater mortis, inique sopor ?  
 11 Si deus, ex Cereris genuit te Bacchus amore :  
 12 si dormire cupis, ede, vir, atque bibe.

## EPYTAPHIUM ANGELOTTI

E\_33 v.1 Angelus hic ego sum, rutilo quem Roma galero  
 2 viderat ornatum, sed mala fata tuli.  
 3 Servorum fueram correptor, virga, flagellum :  
 4 me quoque serviles corripuere manus.  
 5 Nam dum meridie solito de more quiesco,  
 6 heu, quem nutrieram, me puer interimit.

7 Ille dedit poenas furca cruciatus et igne ;  
 8 ipse meum clausi, sed sine voce diem.  
 9 In famulos durus, nulli sua jura favebam,  
 10 perfidus in dominum sed fuit ille suum.  
 11 Infelix dominus, infelix servus obivit,  
 12 supplicio fuerat dignus uterque suo.  
 13 Ergo suis faveat domini clementia servis  
 14 et servi dominis intemerata fides.

AD FRIDERICUM CESAREM

E\_34 v.1 Pauca velim de me sumas modo carmina, Cesar,  
 2 carmina praeclaris digna placere viris.  
 3 Nil tibi adlabor nec te per verba tenebo,  
 4 si tibi vera placent, accipe, verus ero.  
 5 Quid facis in patria Saturni tardior astro,  
 6 dum ruit imperium, dum ruit ecclesia ?  
 7 Cernis ut infelix res publica deperit omnis,  
 8 ut dominus mavult quilibet esse sibi ?  
 9 Ecclesia est, proh, scissa comas, fas omne facessit,  
 10 lex bona cum sancta relligione perit.  
 11 Sed, ne te moveam, sunt haec felicia, suntque  
 12 tempora quae malit rex sibi quisque dari,  
 13 ut si forte malus fuerit similisque Neroni,  
 14 credatur vitium temporis esse sui ;  
 15 sin bonus Augusti pacem concesserit orbi,  
 16 majoris titulum laudis habere queat.  
 17 Rex virtute potens, animo qui praeditus alto est,  
 18 rebus in afflictis nomen habere petit.  
 19 Sic Constantini laudes crevere, pium quem  
 20 nominis aeterni turba Nicaena facit.  
 21 Tu quoque si clarus, si vis divinus haberi,  
 22 da pacem ecclesiae da decus imperio.  
 23 Rem peto difficilem, sed flagitat ardua virtus,  
 24 virtuti subsunt sidera, regna, homines.  
 25 Arridet fortuna viris, qui grandibus ausis  
 26 tempora dura simul fataque despiciunt.  
 27 Tu quoque sume animos et forti pectore contra  
 28 invidiam et fatum temporis ito tui.  
 29 Otia te ignorent, convivia, balnea, somni  
 30 et stimulus rapidae si quis avaritiae est.  
 31 Non regi regnum, sed regno rex datur, ut sit  
 32 communes etiam qui speculetur opes.  
 33 Publica sunt regi, non propria commoda curae :  
 34 qui sua praetulerit, ille tyrannus erit.  
 35 Quid cupiam, jam, Cesar, habes : non Austria, non te  
 36 dignum est imperio terra paterna ferat.  
 37 Cur tantum differs perituro consulere orbi  
 38 et te principibus associare tuis ?  
 39 Desine jam tandem, jam rex neutralis haberi,  
 40 ne semper toto pendeat orbe fides.  
 41 Pone modum rebus, da pacem gentibus et te  
 42 praeclarum in tanto turbine praebe ducem.  
 43 Sic tibi sancta dabit gemmatam Roma coronam,  
 44 sic fugient nomen saecula nulla tuum ;

45 sic Constantinus poteris majorque videri  
46 et sedem aethereo promeruisse polo.

## AD EUNDEM

E\_35 v.1 Rite cepisti meritoque, Caesar,  
2 laude tollendus super astra prodis ;  
3 ut tamen gentes populique semper  
4 hinc tuum possint celebrare nomen  
5 fine perfecto sit opus peractum.  
6 Ecce te poscit tua sancta mater :  
7 "Nate, qui nostram renovare pacem,  
8 qui potes toti dare frena mundo :  
9 causa te flectat melior, rogamus."

## IN MALEDICUM POETAM

E\_36 v.1 Qui mihi das versus et vis gravis inde videri,  
2 quisquis es : o quanti te facis aequae nihil !  
3 Quid tibi cum musis, musto vir plene novello ?  
4 Crede mihi : non est scribere quod bibere.

## EPYTAPHIUM MARTINI PAPE QUINTI

E\_37 v.1 Roma virum fecit, sed me Constantia papam  
2 deque Columnensi sanguine cretus eram.  
3 Oddo, mihi dum vita fuit privata, vocabar,  
4 Martinus, postquam praesul in Urbe fui.  
5 Bis septem sedi Petri sub sede per annos,  
6 ditavi patriam meque meosque simul.  
7 Dum vixi, pax tuta fuit, periire tyranni  
8 Braccius et quisquis insidiosus erat.  
9 Nunc Lateranensi jaceo tumultatus in aede,  
10 ossa tamen, non hic nunc animam repetas.  
11 Siste, oro, qui transis, et de me praesule disce  
12 in commune viris omnibus esse mori.  
13 Crimina sic fugies, caeli sic tecta requires,  
14 non, ut ego, vanas accumulabis opes.

## AD MARIANUM

E\_38 v.1 Quicquid tu tangis, subito, Mariane, fit aurum :  
2 quicquid tangit inops alga fit Hesiodus.  
3 Alea cum ludo est, quid non tibi tessera cantat ?  
4 Taxillus miserum perdidit Hesiodum.  
5 Per mare vadenti numquam tibi visa procella est :  
6 Aeolus Hesiodo concitat omne fretum.  
7 Tutus iter peragis, mucro te latroque vitant :  
8 in mediis caedunt urbibus Hesiodum.  
9 Fecundum pecus est semper tibi, semper et arvum :  
10 Hesiodo sterilis vinea, grex, ager est.  
11 Uxor casta tibi, dives formosaque nupsit :

12 Hesiodo meretrix, ebria, turpis, inops.  
 13 Quis non fortunam toti dominarier orbi  
 14 credat et esse nihil quod sapiunt homines ?

## GALLUS AD CINTHIAM

E\_39 v.1 Ne fuge me, quamvis sim, Cinthia, grandior aevo :  
 2 effetus non sum viribus et genere.  
 3 Hac aetate bonus rex Massinissa putatur  
 4 conjugio sobolem progenuisse novo.  
 5 Instaret quamvis tunc octogesimus annus,  
 6 ancilla ex tenera fit pater ipse Cato.  
 7 Sic ego te possum praegnatem reddere, vel si  
 8 non possum, solvam suspicione mali.

## IN THIMELEM

E\_40 v.1 Bis tibi (quis taceat ?) consul trigesimus instat :  
 2 nubere vis, Thymele, conjugiumque petis.  
 3 Tres tibi sunt dentes, duo solum in fronte capilli,  
 4 debile formicae crusque colorque tibi est.  
 5 In cerebrum fugere oculi : subeunte tenebra  
 6 inde vides quantum noctua mane videt.  
 7 Pectus habes raucae quod habent aestate cicadae  
 8 fronsque rugosa, quasi sit stola crispa, tua est.  
 9 Sunt similes mammae, quas texit aranea telis,  
 10 quale tuum est os, sic crocodilus habet.  
 11 Utque Ravennates conclamant undique ranae,  
 12 sic garris : ques te ferre, maligna, queat ?  
 13 Illud oles, quod olere viri sivever caprarum,  
 14 ossa cuti nigra cingis iniqua parens.  
 15 Augusto friges medio, semper tibi bruma est,  
 16 ignea ne pestis te regelare queat.  
 17 Quid prurit ? Prurire lapis vel frigida possunt  
 18 ossa : virum cineri quaeris habere tuo ?  
 19 Uxorem quis te, quis te nisi mortuus optet,  
 20 ut secum in tumulo sepeliare suo ?

## IN CELEREM

E\_41 v.1 Cum, Celer, aegrotas, dii faxint ne pia tardet  
 2 febris : sit facilis haec medicina tibi.  
 3 Tolle sonum ciceris, sicca dum veste tenetur,  
 4 cum galli cantu decoque utrumque simul ;  
 5 Harpalyces, quantum cursus capit, accipe dextra  
 6 deque domo sumas tres aquilonis apes ;  
 7 Tres Niobae lacrimas, duo tantum basia Prognēs,  
 8 illud, quod rapuit, det tibi litus, Hylam ;  
 9 Herculeae libram dumtaxat sumito clavae  
 10 et pullum, feta est quem tua mula tibi ;  
 11 intuitum post haec captato Libystidis ursae  
 12 et quicquid veri Lesbia dicit habe.  
 13 Haec simul ad lunam, retro dum vertitur Hebrus,

14 exure et cineris ebibe quicquid erit.  
 15 Triginta gelidos nudus percurrere decembres,  
 16 denique placatis porrige thura deis.  
 17 Da caput in murum, cerebri disperge medullam :  
 18 sic potes et sanus et potes esse bonus.

## DE NEUTRALITATE

E\_42 v.1 Ut primum magni cepit discordia cleri,  
 2 dixerunt proceres : nos sine parte sumus ;  
 3 Hoc ubi mendosum docti ostendere magistri,  
 4 suspendunt animos : guttura non sapiunt.

## IN MERETRICES

E\_43 v.1 Proh scelus infandum ! Ceciderunt tecta nec ulla  
 2 occubuit meretrix : sunt bona fata malis.

## EPYTAPHIUM EPICURI

E\_44 v.1 Hic Epicurus ego jaceo, sed corpore tantum :  
 2 parsque mei, melior quae fuit, haec nihil est.  
 3 Stulte, quid insanis, populus ? Cur gaudia perdis,  
 4 ut post fata queas vivere ? Vive modo !

## ALIUD

E\_45 v.1 Hic, Epicure, jaces, vitae cui nulla futurae  
 2 spes fuit : aeterna sic modo luce cares.  
 3 Quid tibi nunc veneres, quid numquam exhausta voluptas,  
 4 si tuus hinc animus jam sine fine dolet ?

## IN DELIAM

E\_46 v.1 Delia si veniat, quamvis tua, discet amari  
 2 et proba barbarico nesciet esse solo.  
 3 Non hic Penelope, non hic Lucretia possit  
 4 seu Phoenissa duos vivere casta dies.  
 5 Delia si firma est, si nulli cedit, avi tunc  
 6 comparo, quam patrio litore mittit Arabs.

## LUDOVICUS IN VENEREM

E\_47 v.1 Cur mihi, dira Venus, totiens male consulis ? Heu cur  
 2 barbaricum totiens cogis amare genus ?  
 3 Sum tuus, esto, bonus per mille pericula miles :  
 4 non tamen haec fuerant castra petenda mihi.  
 5 Nil habet Italicus sanguis, quod conferat istis  
 6 moribus : absque fide nil mihi forma placet.  
 7 Nos colimus fidas uno sub amore puellas :



8           nulla potest aurum femina habere meum.  
 9       Hic alius mos est venaleque numen habes hic,  
 10           non Lucina fidem, non hymenaea tenent.  
 11       Venduntur noctes, venduntur noctis et horae :  
 12           siquis habet noctem, non habet ille diem.  
 13       Ite, meretrices, foedumque habitate lupanar :  
 14           non est cum Venere Flora colenda simul.

PUELLA IN AMATOREM

E\_48    v.1    Noctu me quaeris, sed habet me nocte maritus :  
           2           jura maritorum laedere crede nefas ;  
           3       ille diem patrio totam consumit in agro :  
           4           cur me nocte petis tempora lucis habens ?  
           5       Forsitan et totus nudusque viderier horres :  
           6           mi tenebrosa potest nulla placere venus.  
           7       Quid prodest noctu formosas esse puellas ?  
           8           Saepe fuit juvenis credita turpis anus.  
           9       Ergo placere magis si vis mihi, luce venito :  
 10           nam mihi per tenebras gratia nulla tui est.

DE MENSTRUO

E\_49    v.1    Menstrua quid faciant si quis muliebria quaeris,  
           2           accipe Democriti physica verba mei.  
           3       Contactae his fruges subito moriuntur et herbae,  
           4           omnibus et fetus deficit arboribus ;  
           5       musta suum perdunt et odorem tristis aceti  
           6           suscipiant, ferrum nigra rubigo subit  
           7       aeraque mutantur, rabiem canis induit atque  
           8           lymphaticos reddit morsibus inde suis.  
           9       Est lacus in terris nomenque Asphaltites illi,  
 10           menstrua quem possunt reddere sola vium ;  
 11       namque tenax illic sequitur lentumque bitumen  
 12           navigia et nullas desinit ire rates ;  
 13       at, si fila feras madido polluta cruore,  
 14           spargitur et scissa mox tabe reddit iter.  
 15       Ipsa etiam mulier, tali dum lege tenetur,  
 16           creditur intuitu posse nocere suo.  
 17       In speculo res ipsa patet ; namque aemula virtus  
 18           perditur et clarus effugit inde nitor.  
 19       Illa tamen virtus Helenae est quod sidera vertit,  
 20           quae bonus et doctus nauta timere solet.

AD PROCOPIUM DE RABSTEYN

E\_50    v.1    Tu quoque, Procopi, bonitas quem mira venustat,  
           2           in numeris posthac saepe legere meis.  
           3       Et cur non merito, cum nobilitatis origo  
           4           te levet et longae gloria militiae ?  
           5       Adde - quod est monstri, bona postquam deperit aetas - :  
           6           nox tibi dat Musas, reddit et arma dies.

7 Fecit idem Caesar, dum Gallica castra tenebat :  
 8 magna tua est virtus Caesaris acta sequi.  
 9 Haec tibi praeterita dictavi carmina nocte ;  
 10 namque aberat somnus atque lucerna mihi.

## AD CATERINAM

E\_51 v.1 Estis dissimiles, duo ; pudet me.  
 2 Quis te rusticulo dedit marito ?  
 3 Quis vel te, Caterina, perdidisse  
 4 formosam potuit Jovisque dignam  
 5 aut Phoebi thalamis ? Parem puellam  
 6 sol, qui circuit orbe quicquid exstat,  
 7 non vidit : solidas manu papillas  
 8 dura rusticitas nigraque tractet ?  
 9 O pectus niveum genasque puris  
 10 ornatus violis ! Nocens bubulcus  
 11 mordebit teneram gulam ! Prius jam  
 12 illum fulminet aetheris pater qui  
 13 jungendas monuit faces ; sinistro  
 14 nam te sidere, castior puella,  
 15 in duram voluit necem referre.  
 16 Sed te Jupiter ipse servat ; illum  
 17 dignas constituit subire poenas.

## IN MENNAM

E\_52 v.1 Cur sola noctu balneum petis, Menna,  
 2 dum te domi censemus esse praeclusam ?  
 3 Putas virum dormire ? Non facit. Quid tum ?  
 4 Miser tuus quamvis vir est, beatus fit.

## IN GALLUM

E\_53 v.1 Rumperis invidia, quod carmina nostra leguntur :  
 2 quod tua nemo legit, rumperis invidia.  
 3 Rumperis invidia, quod sum dicorque poeta :  
 4 tu numquam fies : rumperis invidia.  
 5 Rumperis invidia, quod laureaserta feramus :  
 6 tu non fers hederam : rumperis invidia.  
 7 Rumperis invidia, quod me vult Caesar amatque :  
 8 quod te nullus amat, rumperis invidia.  
 9 Rumperis invidia, populi quod voce probamur :  
 10 quod te nemo probat, rumperis invidia.  
 11 Rumperis invidia, fidos quod habemus amicos :  
 12 quod te turba fugit, rumperis invidia.  
 13 Rumperis invidia, mundae quod vivimus ipsi :  
 14 tu rapis, ut vivas : rumperis invidia.  
 15 Rumperis invidia, modico quod vivere novi :  
 16 quod tibi nil satis est, rumperis invidia.  
 17 Rumperis invidia : rumparis, pessime Galle :  
 18 nil tibi sit quod me vertat in invidiam.

## LUDOVICUS AD CATHERINAM

E\_54 v.1 Sic, Catherina, tuis faveant pia numina votis,  
 2 ut tua sunt oculis munera grata meis.  
 3 Quis me felicem, quis me neget esse beatum,  
 4 perfero qui manibus pallia texta tuis ?  
 5 Fugerat ipse prius et me spernebat Apollo  
 6 nullaque de Musis stabat amica novem.  
 7 Nunc redeunt omnes et dicunt : "Sume tabellas  
 8 et quam sit nobis da Catherina decens".  
 9 Incipio. Non est tota sibi nympha Vienna  
 10 aequalis, toto non habet orbe parem.  
 11 Mira sua est probitas, mira est praestantia formae :  
 12 digna Parim ferre est dignaque ferre Jovem.  
 13 O quales risus, o quales jactat ocellos !  
 14 candida sunt totis lilia mixta genis.  
 15 O te felicem, quem fecerit illa maritum,  
 16 si scisses tantis utier ipse bonis !  
 17 Scribere me jussit tantum generosa Thalia ;  
 18 cum volet haec iterum dicere plura velim.

## AD QUINTIUM

E\_55 v.1 Vis agitem causas et dicis : "Maxima res est  
 2 et multum argenti res dabit ista tibi."  
 3 Magnum opus est, Quinti, mendacem vendere linguam ;  
 4 plus tamen argenti fenoris arca feret.

## AD CESAREM

E\_56 v.1 Dii tibi dent longam, Caesar, cum conjuge vitam ;  
 2 Di mihi dent et tu quaeque rogare velim.

## IN ANNAM

E\_57 v.1 Lumina semper cur tua plorant,  
 2 Anna ? Novem ter non trahis annos,  
 3 dormis et altas improba noctes ;  
 4 allia vitas nec faba laedit  
 5 nullaque peior res tua facta est.  
 6 Flere quid est quod te facit, Anna ?  
 7 Pocula siccas plena colino  
 8 aut nimium te subdis amico.  
 9 Verane dicam ? (Dicere fas est) :  
 10 et bene potas et male dormis.

## AD BOSSINIUM

E\_58 v.1 Quid faciam, quid sim, perquirat quisquis amat me ;  
 2 o utinam nulli notus in orbe forem !  
 3 Nam quid ego his dicam ? Nil sum, nil scribo legove,

4           nil facio, quamquam dormio et edo, bibo.  
 5        "Macte tibi virtute, sat est", dicent Epicuri,  
 6           Stoicidae his meme moribus esse suem.  
 7        Quid nunc, Bossini, nostris dicemus amicis,  
 8           quorum me vellet quilibet esse deum ?  
 9        Unicus ex illis, minor est cui sensus, eunti  
 10        "Heu mihi", tristis ait, "quo periturus abis ?  
 11        Otia magniloquos oblectat sola poetas ;  
 12           castra die Caesar qualibet ipse movet.  
 13        Quid facies illic ? Vino indulgere ciboque  
 14           nescis et in sancta vivere pace cupis."  
 15        Non suus ille fuit sermo, divinus haberi  
 16           debit : ora movet simpliciora deus.  
 17        Sic Helenus fratrem frustra et Cassandra monebant :  
 18           quid facerem suasit cetera turba magis.  
 19        Haec ego cur dicam, nostri lux splendor et aevi,  
 20           accipe ; nam de me te Basilea petet.  
 21        Illic me Pylades, illic me observat Orestes,  
 22           Nursia quaerentes noscere quae mea sit.  
 23        "His vidi Aenean, dextram tetigi, sed erat qui  
 24           nec qui sit, novit", dicit, "nec quid agat.  
 25        Consilio fretus vestro se perdidit ille,  
 26           carmina qui poterat scribere multa domi."

#### SILVESTRO CHYEMENSI EPISCOPO

E\_59    v.1    Vir constans animi, vir caelo dignus et astris  
           2           siquis erit, certe tu, Chyemensis, eris.  
           3        Cur te Caesar amat, nisi quod te semper eundem  
           4           repperit et purae mentis habere fidem ?  
           5        Est tibi munda manus, generoso pectus honesto  
           6           incoctum, Musis mens et amica tua est.  
           7        Sic regi carus, sic es quasi fidus Achates  
           8           Archanique tibi creditur omne genus.  
           9        Ergo age, vir nostro quo non est sanctior aevo,  
 10        10        Ecclesiam verbo, mente manumque juva.

#### IN CORTONENSEM EPISCOPUM

E\_60    v.1    Pastor in Etrusca pendentis rupe Cortonae,  
           2           qui populis frenum ponere voce soles,  
           3        magna tibi est, fateor, servati fama Boeti  
           4           nec minor est menti quod sua dicta tenes.  
           5        Cur tamen hunc vendis, cum te vexare Panormi  
           6           nulla queat vivo praesule cura cibi ?  
           7        Vende prius vestes et mulam vende rebellem :  
           8           possideat vatem nulla taberna tuum.  
           9        Non minor hic Seneca est, Lucanum quaere sub isto :  
 10        10        cur abeat pluteis tanta Minerva tuis ?  
           11        Nuper et hic una dum mecum nocte fuisset,  
           12           "Proh ! " dixit, "nostin qui meus est dominus ? "  
           13        Cum retuli "Nosco", "Vah ! quantum decidit", inquit ;  
           14           "nam scio quod me vult vendere nescio cui."  
           15        Sic ait et lacrimis vultum madefecit abortis

16 et fieri pro se verba rogavit inops.  
 17 Nescio quid dicam. Qui dia poemata vendit  
 18 - hoc tantum dicam - creditur esse miser.

## AD EUNDEM

E\_61 v.1 Siquid peccatum est, veniam concede petenti  
 2 et scripto indulge, quod sine felle fuit.  
 3 Vincat amicitiae foedus, vincantur et hi, qui  
 4 inter nos quaerunt ponere discidium.  
 5 Lingua loquax nocuit, sed tu contemne loquaces :  
 6 scomma meum non est, sed fuit ille jocus.  
 7 Siqua tamen nostri pupugit te urtica libelli,  
 8 da veniam calamo : mens sine felle fuit.

## IN POLONUM

E\_62 v.1 Obambulat passus mille in die solo,  
 2 ut ait, et instat et precatur, ut credam.  
 3 Quis adeo dementiri, quis potest tantum  
 4 bibisse, credi ut sibi putet ? Polonusne ?  
 5 Polonus est tam leviter, ut bibit, mendax.

## IN POETAM OCCULTANTEM VERSUS

E\_63 v.1 Edere post vitam credo te velle libellos  
 2 et solum cineri consuluisse tuo.  
 3 Plena laboratis servantur scrinia libris  
 4 et tua nemo legit carmina, nemo videt.  
 5 Desipis in reliquis ; hac miror parte. Quid est quod  
 6 et sapis et non vis cernier esse quod es ?

## IN PERONEM

E\_64 v.1 Optabam tibi millies talentum.  
 2 Dixisti mihi : nil dares abinde.  
 3 O verax nimium nimisque stulte !  
 4 Me verbis poteris tuis ligare,  
 5 ut non tam cito qui fores pateres ;  
 6 sed postquam mihi nulla partienda  
 7 quae pro te cupimus, Pero, putasti :  
 8 optabo tibi mille scorpiones.

## EPYTAPHIUM COPPI

E\_65 v.1 Venator leporum cervisque fugacibus hostis,  
 2 cantor Apollineus hac requiescit humo.  
 3 Natus in Helvetiis, Coppi cognomine notus,  
 4 doctus et arte pilae, doctus et arte lyrae.  
 5 Vita quidem fugit, sed vivet fama per aevum :  
 6 spiritus ex vita praemia digna feret.

## DE SENENSI EGROTO

E\_66 v.1 Aegrotus nostra fuerat vir notus in urbe,  
 2 cui sine nulla dabat pocula mater aqua.  
 3 Illi durus erat Bacchus cum flumine et inquit :  
 4 "Fasne seorsum ut haec pocula bina bibam ? "  
 5 Annuit optanti custos. Ille impiger hausit  
 6 quae coram astabant pura Falerna prius.  
 7 "Sumenda est", inquit, "post haec decocta" minister.  
 8 Aeger ait : "Nequeo ; desine : non sitio."

## IN NOBILEM GLORIOSUM

E\_67 v.1 Sis licet ingenuus clarisque parentibus ortus :  
 2 esse tamen vel sic bestia magna potes.  
 3 Adde decus patriae, claros tibi sume propinquos :  
 4 esse tamen vel sic bestia magna potes.  
 5 Sint tibi divitiae, sit larga et munda supellex :  
 6 esse tamen vel sic bestia magna potes.  
 7 Sis doctus quamvis, sis jure instructus utroque :  
 8 esse tamen vel sic bestia magna potes.  
 9 Denique quicquid eris : nisi sit prudentia tecum,  
 10 magna quidem, dico, bestia semper eris.  
 11 Nosse deum sapere est, et magnum noscere sese ;  
 12 noscenda est vitae causa cuique suae :  
 13 quid dandum patriae, quid amicis quidve propinquis  
 14 et qui sint linguae quique manusque modi.  
 15 Da mihi decoctum generoso pectus honesto :  
 16 sic aliquid titulos nobilitatis erit.

## EPYTAPHIUM DUCIS VENETIARUM

E\_68 v.1 Franciscus Veneti dux et tutela senatus  
 2 qui fueram : parvus me lapis iste tegit.  
 3 Eloquio valui (fas est me dicere de me,  
 4 post obitum nullus si mihi livor obest).  
 5 Me duce quae fuerat Venetis incognita tellus  
 6 jam patet : imperii terminus Abdua jam est.  
 7 Non me dux Ligurum, non armis Genua vicit,  
 8 victa sub auspiciis sed fuit illa meis.  
 9 Quid modo sim, quaeris ? Nil sum, sed gloria reges  
 10 si juvat exstinctos, me quoque fama juvat.

## METRUM SAPHICUM ADONIUM DE NATIVITATE DOMINI

E\_69 v.1 Rector astrorum deus et supernae  
 2 molis, in terris hodie videri  
 3 passus, ut culpas veteris parentis  
 4 demere posses,  
 5 Virgo te mundo genuit beata,  
 6 bos tibi laudes asinusque praebent,

7 turba pastorum celebrat choreas  
 8 gaudia fundens.  
 9 O genus vanum scelerisque custos  
 10 Juda, cur caecis oculis avorum  
 11 crimen amplectens sequeris malignum  
 12 semper et erras ?  
 13 Tuque gentilis, tenebris inhaerens  
 14 cur deos frustra celebras nefandos ?  
 15 Iste te fecit puer et creavit :  
 16 da sibi laudem.  
 17 Pacis in terris chorus angelorum  
 18 nuntiat tempus, bona cui voluntas.  
 19 O puer, quantis venerare signis,  
 20 dum venis ad nos.  
 21 Stella jam reges movet ex Eois  
 22 partibus, quo te venerentur unum,  
 23 turis ac myrrhae tibi deferentes  
 24 munus et auri.  
 25 Ergo te nostrae quoniam salutis  
 26 causa perduxit, miserere parvae  
 27 plebis et nostris precibus, rogamus,  
 28 annue, Christe.  
 29 Da bonam nobis, puer alme, pacem ;  
 30 sit tibi regis populique cura,  
 31 ut viam semper teneant placentem  
 32 rex tibi caeli.

EPYTAPHIUM LEONARDI ARETINI

E\_70 v.1 Hic, Leonarde, jaces, Aretinae gloria gentis,  
 2 qui fueras nostro primus in eloquio.  
 3 Pontificis summi tractasti scrinia quondam,  
 4 hinc Florentinus quae voluit populus.  
 5 Graecus Aristoteles legitur te dante Latinus,  
 6 prima etiam per te Punica bella patent.  
 7 Plutarchus Latias per te migravit in oras,  
 8 qui Graecis Italos comparat arte viros.  
 9 Tu Florentinas acies et proelia nostri  
 10 temporis ornasti : nunc sine voce jaces.  
 11 Stat sua cuique dies : nulli fas vincere fatum :  
 12 vita tamen post hanc altera major erit.  
 13 Qui bene convixit, laetus petit astra, malosque  
 14 Orcus habet maestos : sic deus ire jubet.  
 15 Ergo tibi magnae semper virtutis amanti  
 16 gratior est obitus quam tibi vita fuit.

EPYTAPHIUM EPISCOPI TRIDENTINI

E\_71A v.1 Hic Alexander ego jaceo. Cognosce, viator,  
 2 te rogo, qui fuerim, te rogo, quive siem.  
 3 Dux ego Mazoviae fueram praesulque Tridenti,  
 4 non bene Romanae presbyter ecclesiae.  
 5 Vermibus esca modo trador : jam corpora corpus  
 6 plura meum satiat : sic caro quaeque cadit.

7 Quicquid vivendo merui jam praefero. Sed vos  
8 discite, mortales, actibus esse pii.

## IDEM

E\_71B v.1 Hic Alexander ego jaceo. Cognosce, viator,  
2 te rogo, qui fuerim, te rogo, quive siem.  
3 Dux ego Mazoviae fueram praesulque Tridenti,  
4 mox Aquilegia sede potitus eram.  
5 Huc me concilii duxit legatio, postquam  
6 Romanae fueram presbyter ecclesiae.  
7 Me sibi praepositum vidit praeclara Bienna :  
8 quis modo vel tantis gaudeat in titulis ?  
9 Te, Friderice, soror genuit mea, tu modo regnas  
10 imperiumque regis ; sum modo pulvis ego.  
11 Me vermes edere truces ; jam corpora corpus  
12 plura meum satiat : sic caro quaeque cadit.

## IDEM

E\_71C v.1 Hic Alexander ego jaceo. Cognosce, viator,  
2 te rogo, qui fuerim, te rogo, quidve siem.  
3 Dux ego Mazoviae fueram praesulque Tridenti,  
4 mox Aquilegia sede potitus eram.  
5 Huc me concilii duxit legatio, postquam  
6 Romanae fueram presbyter ecclesiae.  
7 Me sibi praepositum vidit praeclara Vienna :  
8 quis modo vel tantis gaudeat in titulis ?  
9 Te, Friderice, soror genuit mea, tu modo regnas  
10 imperiumque regis ; sum modo pulvis ego.  
11 Me vermes edere truces ; jam corpora corpus  
12 plura meum saciat : sic caro quaeque cadit.  
13 Dux Alberte, mihi nepos, si quando sepulcrum  
14 ante meum venies, porrige vota Deo.  
15 Mille quadringentis post Christi messibus ortum  
16 lustraque post obii non bene plena novem.  
17 Quidquid vivendo merui, jam praefero. Sed vos  
18 discite, mortales, actibus esse piis.

## HYMNUS DE PASSIONE

E\_72 v.1 Quid tibi tandem, scelerate, quaeris ?  
2 Quid petis, fallax homo, quid requiris  
3 immemor, qua te pietate Christus  
4 quaerat ametque ?  
5 Venit in mundum soboles Tonantis  
6 et, licet caelum regeret supernum,  
7 ex deo servus voluit videri  
8 carnis in umbra.  
9 Tu, cinis putris, fugienda pestis,  
10 alta deposcis, miserande vermis,  
11 ut parem credas habuisse nullum,  
12 terra tumescis.



13 Ille carnalem pius in parentem  
14 quos decet cunctos referens honores  
15 Sabbatum numquam violavit unum  
16 semper honestus.  
17 Tu patris jussus fugis atque matris,  
18 festa peccatis violas nefandis  
19 et deum, qui te reparavit, horres  
20 demone pejor.  
21 Ille jejunans domuit superbum  
22 spiritum carnis, cibus atque potus  
23 illius corpus fuit ad regendum : ut  
24 viveret edit.  
25 Tu madens vino Veneri parentas,  
26 nulla te Bacchi Cererisque possunt  
27 dona vorantem satiare : ventri  
28 vivis amicus.  
29 Ille sermones habuit modestos  
30 et docens sedes iter ad beatas,  
31 quo suos quivis repararet actus,  
32 ordine dixit.  
33 Tu vel infesta, venenate, lingua  
34 proximum carpis, superos laccessis,  
35 fabulas crebro referens inanes  
36 turpia narras.  
37 Ille nullius bona concupivit  
38 et manus odit nimium cruentas,  
39 pauperem duxit coluitque vitam  
40 pacis amator.  
41 Tu rapis quicquid potes et cruorem  
42 appetis fratrum, scelus omne parvum,  
43 dives ut fias, reputas, ubique  
44 proelia misces.  
45 Disce te quanti, miserande, fecit  
46 ille, qui vinclis voluit teneri,  
47 ut tibi summam pareret quietem  
48 ductus ad Annam.  
49 Caesus est illic alapis magister  
50 et redargutus dominus deorum,  
51 nocte mox tota trahitur per urbem  
52 discrucianus.  
53 Judici Caiphae datur audiendus,  
54 in deum testes qui citat malignos,  
55 dicitur victus reus, et Pilato  
56 mittitur illinc.  
57 Hinc ad Herodem rapitur videndus,  
58 purpura sumpta redit ad Pilatum  
59 qui, licet nullum videat reatum,  
60 iudicium fert.  
61 Innocens agnus manet ad tribunal  
62 quem flagris caesum, ferat ut coronam  
63 spineam cogunt vicibusque pulsant  
64 corpus honestum.  
65 Conspuunt vultus oculosque foedant.  
66 Astur ut raptam laniat columbam  
67 membra caelestis speciosa regis  
68 dilaniantur.

69 Nec movet turbas speculum doloris,  
70 clamitant cuncti crucis esse dignum :  
71 "Solve latronem, crucifige Christum,  
72 Caesaris hostem".  
73 Dum crucem gestans trahitur necandus,  
74 obviam fertur lacrimosa mater,  
75 quae suis tundens manibus pudica  
76 pectora clamat :  
77 "Nate, quo pergis, periture ? Quis te  
78 in modum talem laniavit hostis ?  
79 Te, meum pignus, nequeo videre :  
80 respice matrem.  
81 Te meus venter tulit, has papillas  
82 suxeras quondam, generose fili :  
83 me tuam spernis refugisque matrem ?  
84 Respice quae sim.  
85 O truces, saevae rabidaeque gentes,  
86 quo meum fertis genitumque dei ?  
87 Nil mali fecit. Sinite, heu, meum me  
88 tangere natum."  
89 Ille submissus oculis abibat,  
90 ad locum venit crucis, atque nudus  
91 et duos inter positus latrones  
92 fertur in altum.  
93 Inde sub ligno sitiens acetum  
94 felque gustavit. Latus est apertum  
95 lancea : sanguis fluit atque lympa  
96 matre vidente.  
97 Probra quid dicam referamque multa ?  
98 "Se deo fecit genitum, sit ita,"  
99 clamitant plures, "alios beavit :  
100 se modo salvet."  
101 O Jesu, quantum genus hoc amasti  
102 perfidum, quod ne moreretur, ipse  
103 pergis ad mortem. Moriendo nostra  
104 morte levas nos.  
105 Sic, homo, pro te patitur redemptor :  
106 tu quasi surdus penitusque caecus  
107 gratiam pendis nihil esse talem  
108 crimine plenus.  
109 Corrige vitam ; venit hora tandem.  
110 Quid facis tantis miser in tenebris ?  
111 Ad deum numquam redis advocantem ?  
112 Corrige mores.  
113 Ipse qui verbum facio miser sum,  
114 pejor et magnas datus in ruinas ;  
115 nosco peccatum, scio quid gerendum :  
116 negligo tempus.  
117 Ni tuum praebes, deus, o favorem,  
118 gratiam ni das homini perempto,  
119 perditus labor miser in gehennam  
120 igne piandus.  
121 Labitur quisquis sine te beari  
122 quaeritat. Munus datur hoc ab alto.  
123 Tu vocas quos vis : rogo me vocandis  
124 adjice servis.

125 Da mihi lumen, videam quid egi,  
 126 da mihi fontem, lacrimis ut altis  
 127 jam mei plorem sceleris reatum  
 128 teque reposcam.  
 129 Non parem Paulo veniam requiro,  
 130 gratiam Petri neque posco, sed quam  
 131 in crucis ligno dederas latroni  
 132 sedulus oro.  
 133 Jam deum versi rogitemus omnes,  
 134 qui neci nostram datus ob salutem  
 135 semper exspectat reditum suorum,  
 136 ut veniam det.  
 137 Jam nimis duri fuimus, venite :  
 138 se reum nemo magis esse credat  
 139 quam pius nobis datus est redemptor  
 140 aethere ab alto.

#### QUE FACIANT BEATITUDINEM IN TERRIS

E\_73 v.1 Quae faciant hominem dicam tibi, Sexte, beatum :  
 2 Tu stude, quo possis illa tenere modo.  
 3 Tota relictata tibi sit res, non parta labore,  
 4 non ingratus ager mensque quieta, velim.  
 5 Sit tibi lis numquam, toga rara focusque perennis,  
 6 prudens simplicitas, par sit amicitia ;  
 7 vires ingenue semper corpusque salubre,  
 8 convictus facilis, mensa sine arte domi ;  
 9 Ebria ne nox sit, sed curis usque soluta,  
 10 non tristis conjunx, ipsa pudica tamen.  
 11 Quod sis esse velis nec plus majoraque malis,  
 12 summum non optes, non metuasque diem.  
 13 Haec te cum Musis felicem reddere possunt,  
 14 sed sine fortuna nemo beatus erit.

#### AD SEXTUM

E\_74 v.1 Non mihi divitias Priami peto, Sexte, Midaeve,  
 2 sed tamen et dici dives et esse volo.  
 3 Dives erit vulgo quisquis nummatus habetur ;  
 4 Stoicus at poterit dives habere nihil.  
 5 Nos aliter volumus, nos inter utrumque volamus :  
 6 nec volo quod modicum est nec volo quod nimium est  
 7 dent mihi mentis opes superi corpusque salubrae  
 8 castaque sit conjunx, laeta decensque mihi.  
 9 Sat fuerit parvi si sim possessor agelli,  
 10 sufficiat vitae qui dare cuncta meae.  
 11 Parva domus, tantum pellat quae frigus et imbres  
 12 et quam cum Musis quaerat Apollo novem.  
 13 Tum felix, tum dives ero, tum, Sexte, beatus  
 14 ejusdem socius si mihi mentis erit.

#### AD PETRUM NOXETANUM

E\_75 v.1 Petre, nihil scribis : mihi nil quoque scribere mens est,  
 2 ut videam possit quis tacuisse magis.  
 3 Plurima te turbant et nos exempla : quid ergo  
 4 aut tu jam facies aut ego jam faciam ?  
 5 Cum mihi sis Pylades, cum sim tibi, dicis, Orestes :  
 6 res erit indicii nos reticere mali.  
 7 Sed ne quis nostri damnare silentia possit,  
 8 sis tu Laertis, sim Telamonis ego.

## AD LIBRUM

E\_76 v.1 Cujus eris munus vel quo sub vindice tutus  
 2 esse, libelle, potes ? Elige jam dominum,  
 3 ne, si solus eas, nigra capiare culina,  
 4 detur et ut tergas uda patella tibi,  
 5 vel si majorem cogaris adire tabernam,  
 6 thuris vel piperis inde cucullus eas.  
 7 "Mitte Ravennatis", dicis, "me pronus in aedes :  
 8 Bartholomeus erit dux Rovarella mihi.  
 9 Artibus hic Graecae madidus Latiaeque Minervae  
 10 Pontificis summi scrinia solus adit."  
 11 Et sapis et certe melius tibi consulis : hic est  
 12 unus, qui tutum reddere te valeat.  
 13 Nunc exire licet, cedro licet ire perunctum,  
 14 splendentem geminae frontis honore tuae.  
 15 Jam cocco rubeas, velet te purpura, pictis  
 16 jam bullis fas est luxuriere novis.  
 17 Perge nec o tanto timeas sub vindice quemquam :  
 18 jam volitare potes quaeque per ora virum.